

videlicet || octo marcarum reddituum infra maccellas carniū in eadem civitate Kamencz, quatuor marcas cum dimidia in octo ortis extra eandem civitatem et in agris unam marcam, necnon in villa dicta Berinbruch^{a)} sex solidos usualis monete et in villa Libnaw unam marcam in redditibus annuis, provide emendum duxerit et racionabiliter comparandum, — nos itaque tam justis quam racionabilibus supplicacionibus ante dicti Heinrici benignius inclinati supra dictam empcionem et comparacionem predictorum reddituum seu bonorum pro dotacione et instauratione altaris — confirmamus presencium sub imperialis majestatis nostre sigillo testimonio litterarum. Datum Prage anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, indiccione octava, x. kalendas septembris, regnorum nostrorum Romani anno decimo, Boemici nono, imperii vero primo.

Auf der Plicatur: Per dominum Luthomisslensem episcopum cancellarium.
Heinricus thesaurarius.

23.

*Kaiser Karl IV. verbindet und vereint die Stadt Kamenz mit den Städten Bautzen und Görlitz der-
15 gestalt, daß dieselbe, ebenso wie jene Städte, niemals von der Krone Böhmen getrennt werden solle.*

Prag, 1356 Mai 11.

Gedr.: Lausizische Monatsschrift 1795. 1,142.

Anm.: Das Orig. oder die Handschrift, wonach Syndikus Zobel zu Görlitz vorstehende Urkunde zum Abdruck gebracht hat, ist uns unbekannt.

20 Karolus quartus divina favente clemencia Romanorum imperator semper augustus et Bohemie rex. Notum facimus tenore presencium universis, quod volentes condicionem et statum regni nostri Bohemie ac specialiter marchie nostre Budissinensis pietate solita facere meliorem et fideles nostros subditos in securiori pacis tranquillitate collocare, civitatem nostram Camentz cum universis et singulis civibus, incolis et inhabitatoribus suis
25 civitatibus Budissin et Gorlicz conjungimus, applicamus et counimus ea condicione, quod^{a)} per nos, heredes et successores nostros Bohemie reges, sicut etiam dicte civitates Budissin et Gorlicz, a regno et corona regni Bohemie nullatenus alienari seu obligari possit vel debeat personis quibuscunque perpetuis temporibus affuturis, decernentes et regalis Bohemie potestatis plenitudine de certa nostra sciencia statuentes, quod cives dicte civi-
30 tatis Camentz, qui pro tempore fuerint^{b)}, nobis, heredibus et successoribus nostris, Bohemie regibus, in alienacione et obligacione sua a regno Bohemie et ejusdem regni corona duntaxat non teneantur modis aliquibus obedire, verum quod cives dicte civitatis Camentz, qui pro tempore fuerint, quacunque lenitate alienacioni seu obligacioni a dicto regno et corona Bohemie se submitterent, quod et ubilibet et ab omnibus reputari et haberi debeant
35 tanquam suo naturali domino fidefraxi et perjuri, presentium sub nostre majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Prage anno domini millesimo tricentesimo quinquagesimo sexto, indiccione ix.^{c)}, quinto idus maji, regnorum nostrorum anno decimo, imperii nostri secundo.

22. a) Berinburch.

40 23. a) neque. b) fuerunt. c) In dem Druck steht fälschlich: vi.